



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

*iniuriam ferre non iniquo animo; sublimioris tamen potestatis est, huiusmodi iniuriam tunc punire tunc arcere, adeoque ius in suo conseruare precio & honore.*

### *Antipharmacum.*

QVAM bellus est Lutherus, & quàm concinnus *Castus*? Si parentes adultos filios non collocent in matrimonio, & vt collocentur, elaborant, potestate paterna excidunt; iudice Luthero; at si parentes *per temerarium nefas, per vim Diabolicam, ac tyrannidem*, liberos aut absolutè ad matrimonium, aut ad matrimonium cum hac vel illa persona cogant; matrimonium constabit, nec parentes potestatem suam hac violentia amittent, nec Christianè aget filius, si tantæ coactioni se non subiciat: Et si imbecillioribus & in Christiana religione minus prouectis, hanc gratiam Lutherus facit, vt rem ad Magistratum deferant; quo parentes ab huiusmodi incepris reuocet.

Sed nil opus longis verborum ambagibus. Aut parentes talia iustè agunt, aut iniustè. Si iustè; filius obedire debet, nec magistratus se interponet: Si iniustè; filius, etiam sine magistratus auctoritate; ab obsequio liber est: Et si metus, qui incutitur, eiusmodi sit, qui in virum constantem cadat, matrimonium irritum erit; quidquid deliret Lutherus. Qui dum potestatem parentum in matrimoniis filiorum contrahendis ultra metas suas extendit, inextricabiles nodos sibi nexuit; ita vt modò hoc, modò illud affirmet; idque, quod parentibus immeritò tribuerat, mox iterum auferat; & vbi abstulit, rursus transcribat, si noua interim vertigo caput occupet; nam & in Epistola ad Spalatinum Tom. 9. Witeb. Germ. agens de controuersia quadam matrimoniali

moniali, expresse dicit, *Si parens filia sua nolit potestatem facere, ut tali nubat, filiam debere ac quiescere; neque aliud remedium superesse, mandatque Spalatino, ut huiusmodi lites abs se amandet & ad politicum magistratum ableget.*

Quæritur XLV. Vtrum tutores eadem potestate præditi sint circa matrimonia suorum pupillorum, qua parentes? Respondet Lutherus in Colloq. Symp. Tit. de Matrim. *negatiue quia tutores non sunt caro & sanguis pupillorum. Quapropter proximi consanguinei ut fratres, &c. merito illis anteponuntur. Nihilominus tutoribus cogitatio seu Consilium de matrimonio indicari debet. Si non consentiant, non obstat eorum dissensus. Imò etiam si ipsis inconsultis & insciis matrimonium initum sit, pro valido reputari debet.*

### *Antipharmacum.*

HÆC omnia Lutherus ex malè feriato suo cerebro; sine vlla scriptura, qua tamen sola omnia in causis matrimonialibus definienda & transigenda in Serm. *de Matrimonio* docuerat; ut & in Catalogo de gradibus & personis interdictis. Deinde Lutherus, ut infra audiemus, passim clàmitat, *matrimoniales causas ad se & alios Prædicantes non pertinere: Magistratui competere, ut hæc talia legibus temperet ac gubernet: Interim velut alter Lycurgus aut Solon ex Prædicantico suo tripode leges connubiales dicat, & hoc matrimonium valere; illud irritum esse, audacissimè pronunciat.*

Quæritur XLVI. Quis sit legitimus causarum & controuersiarum matrimonialium Iudex: num Prædicantes; num magistratus politicus? Respondeo hîc iterum Lutherum Protei personam mirificè in publica Orche-